

2. **P. Iacobus Kearns**, Prov. Balt. (1901-1955) in ultimo magno bello capellanus militaris fuerat non modo in sua patria, sed etiam in longinqua Persia (Iran). Aestate anni superioris a medicis audierat sibi paucos menses vitae superesse et probabilissime mortem suam fore subitanam. Coepit exinde impense sese ad mortem praeparare, et omnes Patres magnae suae communitalis Bostoniensis certiores fecit de extrema unctione sibi tempestive administranda. Kalendis Decembribus, cum in Sacro offerendo ad ultimum Evangelium pervenisset, sensit appropinquantem ictum apoplecticum, et videns P. Eduardum Mc Donough, fecit signum crucis in fronte, ad exprimendum desiderium Olii Sancti; iam enim loquela orbatus erat. Eo ipso tempore Missam in altari maiore P. Ioannes Tackney finierat, qui sic confratri sacris paramentis etiamtum induto et paulo ante Pane eucharistico refecto etiam ultimum sacramentum morientium administravit. P. Kearns autem post mediam horam inter preces confratrum et sui fratris germani Thomae, interim vocati, Creatori animam suam reddidit. Eius funus circa 75 sacerdotes praesentia sua cohonestarunt.

Vide plura in *C.S.S.R. Chronicle*, Ian. 1956, p. 48.